

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Matthaei apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# IN DIE FESTO MATTHÆI APOSTOLI.

*Evangelium Matth. 9. v. 9. -- 13.*

## EXORDIUM.

**D**edit olim Numen divinum Abraham, Patri omnium fidelium ejusmodi mandatum: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, Genes. 12. v. 1. seqq.

### Ubi consideranda

1. *Abrahami miseria.* Licet enim ille in re lautâ & benè auctâ fuerit, quantum temporalia concernit: attamen in spirituali miseriâ vixit, quia idololatriæ reus fuit. Siquidem de Persis, & Chaldæis apud Herodotum atque Xenophontem, aliosque fide dignos Scriptores legimus, quod à priscis temporibus Solem, quem Oromazen vel Oromasden, & Lunam, quam Arimanium appellarunt, adorarint, & ita his duobus luminibus cœli, divinum honorem obtulerint. Quia igitur Abraham de Ur Chaldææ, ubi frater ejus Haran mortuus, oriundus fuit, non dubium est, quin ille idololatriæ huic affinis, & Spiritui sancto, qui disciplinæ effugit fictum, Sap. 1. v. 5. infensus fuerit.

2. *Dei gratia.* Ecce enim Deus, in miseria hac ac damnabili conditione, eum benigne intuetur, vocat eum è cœtu idololatriæ ad veram Ecclesiam, manifestat se eidem fideliter, facitque promissionem, quod non modò Pater multarum & flo-

rentissimarum gentium futurus: sed & ex ejus prosapia & posteris Servator mundi, & Redemptor lapsi generis humani nasciturus sit. Quæ tanta gratia, ut Regius Psaltes, cum & illi, ceu nepoti Abrahami promitteretur, præ admiratione & animi latitia in hæc verba eruperit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque? Sed & hoc parum visum in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam, de domo servi tui, in longinquum, & hæc est lex hominis, Dei Domini. (Jehova) 2. Sam. 7. v. 18. 19.

Quanta vero, vos mei! fuit in Vet. Test. Abrahami miseria, ubi adhuc in idololatriâ Chaldæâ vixit, & Dei gratia, qua Abrahamum vocavit, & benedictione qua corporali, qua spirituali superfudit: Tanta quoque, non minor, fuit in N. T. miseria Matthæi, ubi adhuc avaritiæ & usurarum mancipium, magno cum animæ discrimine fuit: & Christi gratia, qua ipsum à fœneratione ad Apostolatam, & è potestate tenebrarum in Regnum suum vocavit, & benedictum Ecclesiæ patrem, qui Christo multos spirituales filios genuerit, constituit, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

Nos methodi nostræ inservientes, videbimus

||||

I. Tri-

- I. Triplicem Querelam.  
 II. Triplicem Medelam.  
 III. Triplicem Cautelam.

J. J.

## Exegefis.

**D**efcribit Moles, in 29. cap. Exodi, fufe vocationem & Ceremonias, quibus Aaron ejusq; filii ad Sacerdotium à Deo vocati funt. Quo ipfo Dominus luculenter fignificavit, feipfum effe Collatorem & Dominum Ministerii, qui homines utiles ad illud vocet, & neceffariis donis inſtruat, quo ita Eccleſia ad Domini gloriam, & hominum ſalutem ædificetur.

In prælectâ Pericope audimus, quomodo Servator, ad Apoſtolos jam autè vocatos unum adhuc, nempe Matthæum publicanum vocaverit, qui & ſine ullâ tergiverſatione promtè Chriſtum ſecutus eſt.

## Querela reſpicit

I. *Matthæi telonium.* Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Hinc eluceſcit, quod Matthæus tum temporis Mammonæ mancipium, cujus omne ſtudium in corradendis pecuniis & opibus, fuerit. Hoc ſine non modò telonium à Romanis conduxerat: ſed & quo hunc ſcopum ſuum obtineret, alios inique defraudavit, uſuris gravavit, & per fas & nefas, opes ſuas auxit.

Matthæi telonium quidem dudum interit: ſed quot avaritiæ cultores hodie tenus cum Matthæo in telonio ſedent? Quæ enim plerorumque hominum meditatio, intentio, ſtudium aliud, quam quod

in telonio ſedeant? hoc eſt, in comparandis opibus, & corradendis pecuniis omne ſtudium ſuum collocent, jurene an injuria, licita vel illicita per media, nihil intereſt. Sane quod Propertius olim cecinit, nunc ad amuſſim impleri cernimus:

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro

Venit honos: auro conciliatur amor.

Auro pulſa fides, auro venalia jura,

Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Ut rectè Demoſthenes dixerit: *Δείδι γρημάτων, καὶ ἀνὺ τούτων ἐσθὲν ἔστι γυνέσσει τῶν εὐόρων,* opus ſunt opes, & ſine iis nihil fiet, quod opus.

Sicut igitur quilibet pecuniâ opus habet in hoc mundo, ad hunc mundum: ita nemo non in pecuniis coacervandis omni ſtudio deſudat, quin pluriſimi ſe ideo in mundo vivere opinantur, ut pecunias colligant, quas & animæ & corpori præpoſterè præferre non dubitant, juxta verſum Heſiodi:

*Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλειται δειλοῖσι βροτοῖσι.*

Lucri quippe bonus odor ex re qualibet, & ubi vel minimus quaſtus obtineri poteſt, ibi Deus ejuſque verbum, anima cum beatitudine, & virtus cum honeſtate parùm attrēditur, ſicut ille apud Plautum ait: Si lucri quid detur, potius rem divinam deferam. Sic illud Horatii locum habet:

O cives cives, quaerenda pecunia primum,

Virtus poſt nummos!

Hinc ubique locorum telonia eriguntur, vultque unusquiſq; in telonio ſedere, ut & ipſe opes & divitias ſibi adquirat.

In

In hoc telonio fedent Clerici, qui quidem in aliis non raro avaritiam damnant, eosq; ad *ἀυτάρκτησιν* hortantur, dicentes: Quæstus magnus pietas cum animo, suâ sorte contento, 1. Tim. 6. v. 6. Verùm dicunt & non faciunt, Matth. 23. v. 3. Sanè multi occurrunt, qui cum Sacerdotibus & Senioribus Israeliticis in eodem luto hærent, de quorum avaritia vide Jer. 6. v. 13. Amos 8. v. 5. Hof. 12. v. 17. Mich. 6. v. 11, nec non cum Pharisæis & Scribis, Matth. 15. v. 5. c. 23. v. 14. Marc. 7. v. 11. Luc. 5. v. 17. c. 11. v. 42. c. 16. v. 14. ut & cum summis Sacerdotibus, Matth. 21. v. 12. Quærunr cum Simone Mago lucrum ex Evangelio, Act. 8. v. 19. ut & cum falsis fratribus & Apostolis, 1. Tim. 6. v. 5. 2. Petr. 2. v. 3. 4.

Deinde in hoc telonio fedent Politici. Nero monstrum illud Imperatoris adhuc hodiè in multis Magnatibus renascitur cujus monitum ad præfectos notum est: Scis quid mihi opus est. Hoc agamus, ne quis quicquam habeat. Similiter Symbolum Vespasiani Imperatoris adhuc celebratur: Bonus lucri odor exre qualibet est. Pertinent huc Consilarii, Jcti, Secretarii, Præfecti &c. qui propter pecuniam jus violant, munera accipiunt, innocentes opprimunt & variis studiis in pecunia inique acquirenda occupati sunt.

In vita quoque communi nemo non in telonio sedere studet. Mercatores, Mechanici, tabernarii & opifices adulterant merces, vendunt vitiosa pro bonis, & proximum reclamante conscientia suâ, defraudant: ubi imposturarum & fraudium tot species, ut enumerari nequeant. Et quod pessimum, multi aded lucro intenti sunt, ut cor, sensus, meditationes & studia omnia

ad quæstum componant, semper dicentes affer, affer, Prov. 30. v. 15. sive sit raptum, sive sit captum, modò sit aptum: & tamen boni Christiani videri non dubitant. Verùm monstra Christianorum, non Christiani sunt, qui plus *ἄστυον* quam Christum æstimaunt, & petram cordis sui, & partem suam constituunt, Job. 31. v. 24. Plal. 73. v. 26.

Fugite, fugite vos mei damnosum hoc avaritiæ telonium, ut Cacadæmonem ipsum, ne laqueisejus irretiti, in desideria stulta & nociva incidatis, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, 1. Tim. 6. v. 9. Matth. 16. v. 26.

II. *Magnum mundi nosocomium.* Dicit hïc Christus: Opus est Medico male habentibus. Quid per male habentes intelligat, ipse in sequentibus innuit, inquit: Veni vocare peccatores ad pœnitentiam. Sunt igitur peccatores malè habètes, qualis quoque Matthæus fuit, dum adhuc in telonio sedit, sicut & reliqui publicani & peccatores, qui cum Christo in ædibus Matthæi discubuerunt, & cibum manducarunt. Quia igitur omnes homines peccatores sunt & egent gloria Dei, Rom. 3. vers. 23. omnes quoque malè habent, ut mundus nihil aliud sit, quam nosocomium variis ægrotis refertum.

Sicut igitur morbi corporales, omnes hominis vires debilitant, sensus & membra obrundunt, ut neque pes neq; manus officium facere possit, quin & formam hominis violant, tandem nisi in tempore curentur, certissimam mortem inferunt: Ita & peccatum corruptio totius hominis est, quo internæ & externæ gratiæ & naturæ vires depravatæ, pulchritudo imaginis di-

vina deformata, & omnes sensus atque membra adeo debilitata sunt, ut ad bonum planè inepra & ad malum prona sint. Quinimo totum caput languet, & totum cor ægrotat. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo integrum quiddam, Esa. 1. v. 5. 6.

Verè languet anima, animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. languet cor, cujus omne figmentum ad malum pronum est ab adolescentia sua, Genes. 6. v. 7. ægrotat intellectus, non enim sufficientes sumus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, 2. Cor. 3. v. 5. ægrotat anima, videmus enim aliam legera in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ; bonum quod volumus non facimus, sed quod nolumus malum, hoc agimus, Rom. 7. v. 19. 23. Summa: nihil boni in nobis, hoc est, in carne nostra habitat, Rom. 7. v. 18. Et in peccatis mortui sumus, Eph. 2. v. 1.

Hic laborat melancholia desperationis, ille Hydrope præsumptionis, iste contractura & paralyti securitatis; hic epilepsia impænitentiæ, ille phrenisi avaritiæ, iste lepra scortationis & adulteri, alii aliis periculosis morbis lethaliter decumbunt.

Quia igitur omnes & singuli in hoc mundi nosocomio lethaliter agrotamus, agnoscamus quisque morbum suum: sicut enim agnitio morbi initium sanitatis est: ita ex aduerso in præsentissimo periculo versantur, qui morbum non agnoscunt; quod & de spiritualibus morbis intelligendum est, Joh. 1. v. 8. 9. Scrutemur igitur vias nostras, & queramus & revertamur ad Dominum, Thren. 3. vers. 40. 41. 42.

III. Pharisaicum odium. Ubi Pharisei vident multos publicanos & peccatores cum Christo in domo Matthæi discumbere, ansam illi hinc capiunt animum suum virulentum contra Christum exprimentendi, ideò dicunt discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? q. d. Honestus vir cum publicis peccatoribus & publicanis nullum habet commercium. At Magister vester, qui aliàs omnes reformare vult, cum ipsis discumbit, & genio indulget. Ideò parùm honestatis & sanctitatis in ipso esse valde consentaneum est, quem tamen vos pro Magistro agnoscitis, & alios sincere Doctores negligitis.

Nonne verò hoc satanicum odium & detestabilis invidia? Nihil sanè optimus Servator iniqui gesserat, qui ideò conversabatur cum publicanis & peccatoribus hicce, ut eosdem ab impia vita ad Deum converteret: & ecce optima ejus intentio à convitiatoribus hisce sinistra interpretatur, & depravatur.

Sed & hodie tenus Sycophantæ ejusmodi vivunt, qui ex odio & invidentia Pharisaica, qua in pios flagrant, omnes eorum actiones & intentiones virulenter depravant, ut nihil tam benè dici & fieri possit, quod illi non pessimè calumniantur & malevole dijudicent.

Hoc ipsum verò mordet pios, sicut & David propterea conqueritur, Psalm. 120. v. 4. 7. & Deus ipse Ezech. 2. v. 6.

Optimum verò remedium contra virulentas hujusmodi linguas est, ut veritati studeas, rectè agas, & conscientiam rectæ voluntatis, morsus calumniatorum obliques.

Qui

Qui lapide ictus est, quærit medicinam: ictus autem calumniæ gravius, quam lapides feriunt. Est enim calumnia clava & gladius, & jaculum incurabile, ut ait Salomon, Prov. 25. v. 18. sed his veritas mederi potest, quæ ubi negligitur, vulnera acerbiora fiunt, ait Ambrosius.

Ne verò patent homines ejusmodi contumeliosi, se quicquid hujus mali gesserint, impunè laturos: Minimè. Ubi enim convitiis suis satis debacchati, & gladio pestiferæ linguæ atque arcu calumniarum, piis insidiati sunt, tandem arcus eorum confringetur, & gladius intrabit in cor ipsorum, Psal. 37. v. 15. in æternam ipsorum ignominiam & opprobrium.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
 I. Ex Christi mansuetudine, quæ elucescit ex verbis Matthæi dicentis: Et factum est, discumbente eo in domo: Ecce, multi publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Quo indicat, non modò Christum ergà Matthæum se benevolè exhibuisse, ut cum ipso ad invitationem ejus in domum suam descenderit: sed & ergà reliquos convivas, cum quibus discubuerit, & cibum cepit; licet magni & nefarii peccatores illi fuerint.

Diabolus semper nobis persuadere fatigat, Christum peccatores abominare, & detestari. Sed hinc contrarium perspicimus. Discumbit enim ille cum publicanis & peccatoribus. Quinam fuerunt peccatores & publicani? Publicani fuerunt omnibus abominabiles ob execrabile avaritiæ

vitium. Peccatores verò hi ejusmodi malefici, qui in publicis peccatis & flagitiis, cædibus, avaritia, scortatione, libidine, adulterio furto & rapinis, aliisque famosis ejusmodi vitiis, sine propudio degebant. Apud Judæos tanquam proverbium celebratum, quod si hominem impium, & nullius conscientiæ denotare voluerint, publicanum & peccatorem eum vocaverint. Quò procul dubio, Christus respexit, ubi de homine, qui omnem admonitionem spernit, & neque fratrem suum, neque alios, neque Ecclesiam audire vult, dicit, quod sicut publicanus & Ethnicus nobis esse debeat, Matth. 18. v. 17.

Et nihilominus Servator cum ejusmodi peccatoribus & publicanis conversatur, manducat cum illis, quò benignitatem, humanitatem, & mansuetudinem suam sufficienter probat, se nullum peccatorem despiciere, vel abjecturum esse, Joh. 6. v. 37. Sed potius promptum esse, omnibus gratiam suam exhibere, qui illam desiderent.

Quod si igitur & tu miser peccator es, qui hæctenus in catalogo peccatorum & publicanorum fuisti, noli propterea desperare: sed potius fide intueri Jesum tuum, inter medios peccatores & publicanos hinc decumbentem, quod si illos non neglexit, neque te negliget: si illos non abjecit, neque te abjiciet, si illos in gratiam recepit, te quoque in gratiam recipiet.

Præclara sunt verba Bernhardi: Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, curimus post te, Jesu bone, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confidentem Latronem, non supplicantem peccatricem,

Cananæam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum tuorum, denique non ipsos crucifixores tuos.

Quia verò Servator *pœnitentes peccatores* saltem in gratiam recipit, quales fuerunt publicani & peccatores in prælecto Evangelio: illi qui aut præfractè in peccatis pergunt, aut ex merâ hypocrisis illum accedunt, ut Pharisæi, ipsi abominabiles erunt, nec ullum cum ipsis habiturus est commercium. Propterea opus est, ut seriâ pœnitentia ad ipsum te recipias, verbum ejus diligas, & Evangelium ejus cum gaudio suscipias, sic & tu ipsi gratus eris, ad te intrabit, & cœnabis cum ipso, & ipse tecum, Apoc. 3. v. 20.

II. *Ex Medici aptitudine*, de quâ ait: Non est opus Medico valentibus, sed malè habentibus. Quem per Medicum intelligat, ipse in sequentibus explicat, inquit: Veni vocare peccatores ad pœnitentiam, quo innuit, seipsum hunc Medicum esse.

Suprà percepimus, quomodo omnes in hoc mundi Nosocomio variis morbis laborantes decumbamus, nihil aliud, quàm mortem temporalem & æternam, quæ stipendium peccati est, Rom. 6. v. 23. expectantes.

Ad quem igitur confugiamus? cujus opem atque remedium adhibeamus? Ad te Domine Jelu confugimus, tu es Dominus Sanator noster, Exod. 15. v. 26. Hinc ipse ait: Spiritus Domini super me: etenim unxit Dominus me, ad evangelisandum afflictis misit me? Esa. 61. v. 1. Ego qui loquor justitiam, Magister sum ad salvandum, Esa. 63. v. 1. Ipse fidelis ille Samarita-

nus est, qui miserum, in latrones incidentem hominem, respexit, vulnera ejus obligavit, & curavit, Luc. 10. v. 30. seqq. Psal. 103. v. 3.

Ad hunc igitur Medicum confuge, quodcumque vel corpore vel animâ ægrotas. Non enim est carnifex, non licitor, sed Medicus. Quod si igitur æger Medicum inquit, quidni & tu Medicum quæreres cœlestem? Maximè quia Princeps Medicorum est, qui artem suam aliquot millia annorum probavit, mutatio dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. Data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Tum & promptus est ad auxiliandum, neminem excludit, neminem despicit, nullum discrimen facit inter magnates & humiles, opulentos & pauperes, idque sine ullâ mercede. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, atque onerati estis, ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28. Esa. 42. v. 2. 3.

Et quod palmarium est, *medicamenta ejus omninò probata sunt*, talia sunt *baptismus*, Fluenta sanguinis tubra, Christi cruore tincta, quæ cuncta sanant vulnera, accepta de parente, & quolibet patante: Item *verbum ejus salvificum*, de quo scriptum: Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine, sermo, qui sanat omnia, Sap. 16. v. 12. & *caro ejus*, quæ vera panacæa, & *sanguis ejus*, qui vera portio vitæ, ut ipse ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh. 6. v. 54.

III. *Ex Christi peccatoribus succurrendi promittuntur.* Non veni, ait Servator, vocare justos: Sed peccatores ad pœnitentiam

tiam. Quod & reipfa in prælecta hâc Pericope probavit. Non enim expectat, dum Matthæus animâ graviter laborans ad eum venit, vel se accersit: sed spontè ipsi obviam progreditur, quærit & vocat ipsum, inquit: Sequereme. Tu infirmus es, ego Medicus, utere medicinâ meâ, & certiffimè conscientiam tuam tranquilabis. Idem probat in publicanis & peccatoribus secum discumbentibus, quos inter medius sedet, ut artem suam in illis probet. Non quærit cibum aut potum; sed peccatores ad pœnitentiam vocare desiderat, hæc esca, hæc delictæ ejus sunt, Joh. 4. v. 34.

Hâc benevolâ promptitudine hodiernus profequitur te & me, & omnes peccatores. Quod si illum non accedis, ipse ad te venit, quærens te, ut pastor oviculam perditam, Luc. 15. v. 4. Vocat te voce suâ amabili, non ut tibi pœnam annunciet, ut Protoplastis in Paradiso, Gen. 3. v. 9. non enim Deus misit Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum, Joh. 3. v. 17. ergo vocat te ad pœnitentiam. Ecce, Redemptor tuus, ut propitiatio pro peccatis tuis fieret, sanguinem suum profudit pro te, 1. Joh. 2. v. 2. Ubi Medicus est, qui cum jactura vitæ & sanguinis ægrotum curat? Hoc verò Christus Servator tuus fecit, nec quicquam à te requirit, nisi ut peccata tua seriâ cum contritione agnosceas, deprecetis verâ fide, & vitam emendes, hoc si feceris, non tibi ad damnationem imputabuntur, 1. Tim. 1. v. 15. Luc. 9. v. 56.

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Peccata tua confitere.* Hoc facit Matthæus, quod enim hactenus Mammonæ mancipium fuerit, & res suas perpetuo lucro, & iniquis usuris locupletaverit, non reticet, sed rotundè confitetur, dum ait: quod Jesus se viderit sedentem in telonio. Quod & sequenti cap. 10. v. 3. facit, ubi enim nomina reliquorum Apostolorum enarrat, sibi epitheton adjicit, & Matthæum publicanum se nominat.

Jcti aliâs dicere solent: Nemo tenetur allegare propriam turpitudinem. Quod quidem locum habet *in foro solis*, sed non *in foro poli*, ubi homo peccata sui ipsius accusare tenetur. Hoc probant exempla Sanctorum, qui peccata sua non palliant & excusant, sed liberè confitentur, quò Deus glorificetur, misericordia ejus celebretur, alii peccatores ad pœnitentiam invitentur, & in tentatione contra peccata erigantur & confirmantur. Exempla sunt Mosis, Num. 11. v. 21. c. 20. v. 11. Deur. 32. v. 40. 50. Davidis, Psal. 32. v. 3. seqq. Psal. 25. v. 7. & 11. Psal. 51. v. 1. seqq. Jobi, c. 42. v. 3. Jeremiæ, cap. 20. v. 14. seqq. Danielis c. 9. v. 5. seqq. Pauli, 1. Cor. 15. v. 9. 1. Tim. 1. v. 15. Quo ipso nobis ansa datur, ne incrustemus aut palliemus peccata nostra, ut Protoplasti in Paradiso fecerunt, ubi vir culpam in Evam, Eva in serpentem devolvit, & nemo culpam suam confiteri voluit, Gen. 3. v. 12. seqq. sed sine ullâ excusatione illa confiteamur. Melius quidem esset planè non peccare, vel non aded enormiter, & cum destinato proposito: quando verò factum, majus peccatum perpetratur, si Deum illa celentur, & excusentur. Peccatum peccato addit, qui culpa, quam fecit, patrociniâ defensionis adjungit, ait Gregorius.

II. Do-



II. *Dominam vocantem sequere.* Quamprimum Christus Matthæum vocat, sequere me, ille continuo à telonio surgit, & sequitur eum. Non remorantur illum divitiæ, non mundanæ voluptates, non vilis Christi coràm mundo autoritas, non obtretractio, quâ à plurimis notatus est; sed per fidem omnia impedimenta vincit, & sequitur divinam vocationem prompto obsequio. Pari modo sicut scapha, quando navi alligatur, navigium per mare impetuofum & decumanos fluctus sequitur: sic Matthæus Christo quasi alligatus est, eundemque sequitur, quod vocat & ducit se, nec fluctus tentationum ab eo se abducere patitur.

Simili obedientiâ & nos Christum sequamur. Quotidiè adhuc per ministros suos vocat nos: Sequere me. Hic nostri officii erit, à telonio peccatorum nostrorum surgere, & è Nosocomio iniquitatum exire, & eum sequi. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserabitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est, ad ignoscendum, Esa. 55. v. 6. 7. Quod si nos per spinas & vepreta, per ærumnas & tribulationes ducit, similiter sequi debemus, hoc enim indicium est animarum fidelium, tanquam virginum illibatarum, ut sequantur agnum, quocunque ierit, Apoc. 14. v. 4. siquidem non ignari sumus, quod si eum hinc sequuti fuerimus in vitâ, passione, & morte, quod eum aliquando secuturi simus, ad cœlestes nuptias, ad gloriam sempiternam, Matth. 25. v. 10.

III. *Cœlesti Medico utere.* Plurimi contra spiritualement animæ morbum diversa remedia excogitarunt & tentarunt, spe certissimâ freti, se hoc modò curatum iri. Hinc cœnobita, hinc peregrinationes religiosæ, jejunia & ejusmodi opera fatissactoria infinita! Verùm & verbum Dei & experientia probat, hoc modò morbum animæ non curari, sed potius invalescere.

Meritò ergò omnibus reliquis Medicis præteritis, unicè Christum Medicum adhibeamus, & curatione ejus utamur, dicentes cum Davide: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, Psal. 6. v. 3. & cum Jeremiâ: Sana me Domine, & sanabor, Jer. 17. v. 14. Nullus unquam corporalis Medicus adeò promptus fuit ad succurrendum, ut Christus: Simulac miseri clamant, exaudit eos Dominus, & de omnibus tribulationibus eorum salvat eos, Psal. 34. v. 7.

Licet etiam, quamdiu in hâc carne vivimus, subindè recidivam patiamur, & in novos morbos incidamus: attamen ne cessemus, Medicum nostrum inquirere, quo in tempore, salutari remedio nobis succurrat, donec tandem à morte corporis hujus liberabimur: Ubi Jesus noster infirmitates nostras tam plenè curabit, ut in æternum recidiva nulla pertimescenda sit. Ibi enim mors non ultrâ erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrâ, quia prima abierunt, Apoc. 21. v. 4.

Hanc gratiam cœlestis Medicus noster exhibere nobis singulis dignetur, Amen.